



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput VII. Maleficii descriptio & divisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Non sunt magicæ arti adscribendi quidam effectus pure naturales, licet rari. Habet natura arcana quædam mysteria: quod si plantarum & mineralium vim, astrorumque cursum, aspectus, & influentias probe noverimus, profecto mira plura patraremus, qualia Philosophi quidam patrarunt, qui Magi sunt habiti: hoc nomine plerique docti viri ab indocto vulgo secularis nequioribus sunt appellati. Verum a miris hisce rarisque procurandis effectibus prudenter est temperandum, ni ex his aliqua Dei gloria, aut proximi utilitas expectetur. In his curiositas plerumque & vanitas adest, quæ duo verum Christianum sectari dedecet.

C A P U T VII.

Maleficii descriptio & divisio.

Malefium sic definitur, ars nocendi aliis opem dæmonis. Dupliciter dividitur; aliud enim est malefium amatorium, aliud veneficium. *Amatorium*, ad amandum excitat, mentem turbans,

peractis Confessarius, præsertim juvenis, spiritualia interim remedia videlicet magnam in Deum fiduciam, sanctissimorum Nominum invocationem, sanctæ Crucis venerationem, sacramentorum frequentationem &c. pœnitenti suadeat, absolutionem, quantum circumstantiæ permittunt, nonnihil differat, & circa specialia quædam virum doctum, pium, aut veteranum Confessarium consulat, ejusque prudens consilium subsequatur, sicque aut veri pœnitentis promovendam salutem, aut astuti impostoris dolos, & veritates eludet.

bens, sanguinem inflammans, & ad luxuriam provocans potionibus, aut virgis, aut aliis huiusmodi. Item contra aliquem hoc maleficio odium excitatur, sicut inter maritum & uxorem evenit, qua re a conjugii opere exercendo impediuntur. *Veneficum* vero varios creans morbos corporis sanitati obest; vel animalibus nocet, & agrotare facit; aut agris nocet, grandine, tempestate, aut sterilitate. Id sæpe in villis magi conficiunt, Deo permittente, vel ut populos puniat, vel ut exorcismorum Ecclesiæ vim, & Sanctorum protectionem ostendat.

Nulla est fascinatio, quæ hominum voluntates ad amorem vel odium cogere possit. Una amoris comparandi ars est, quam tradit Poeta inquiens: *Ut ameris amabilis esto*. Fascinatio mentem plerumque turbat, & amentiam potius quam amorem creat, ut sæpius experientia innotuit.

In maleficio inquirere debet Confessarius quale pactum, & quomodo cum dæmone sit initum. An magus Christi fidei & Sacramentis renunciare promiserit: quod si in hac promissione aliquis adfuerit circa fidem error, fidei dogmata falsa putando, aut sanctificandi vim Sacramentis demendo, tunc pacto conjuncta est hæresis. Verum licet absit huiusmodi error, unius tamen pacti & maleficii malitia mortale est peccatum valde enorme.

2. Inquirendum est, an aliquo modo magus dæmonem adoraverit; & an crediderit honorem aliquem dæmoni tamquam debitum esse præstari.

standum, illumque posse humanam voluntatem
flectere, dum dæmonis opem petit, ut alium
ad amandum vel odiendum impellat.

3. Maleficium ipsum est considerandum, &
scrutari oportet, an in eo conficiendo sacri
quid admisceatur, veluti Aqua benedicta, Oleum
sanctum, Cereus benedictus, aut (horren-
dum dictu) sanctissima Eucharistia. Diabolus
enim acerrimus Dei hostis sanctioribus rebus
Dei cultui dicatis in fortilegiis utitur; quo pacto
simplices fallit, qui peccare minime putant,
dum verbis sacrae Scripturae utuntur, aut eccle-
siasticis orationibus, aut rebus iis, quæ fide-
lium venerationem suapte natura merentur.

Damnum quoque est attendendum, quod
proximo maleficium affert, ejus nempe personae
ejusve bonis; unde restitutionis obligatio ori-
tur (a).

In hanc etiam materiam recentes
fuisse perniciosas opiniones invexere. De-
cet Casuista quidam, audientem pactum ab
alio cum dæmone fieri, ut thesaurum celet,
posse

(a) Qui philtro proximum in amentiam conjecit,
vel maleficiis ad noxium quid agendum compu-
lit, graviter contra justitiam peccavit, tollere
maleficia tenetur, quantum potest, ac inde se-
cuta damna reparare. Etiam pro ablato memo-
riae aut rationis usu quamdam restitutionem po-
cuniarum esse faciendam cum nonnullis Sotus
existimat: alii ejusmodi bona pretio quovis
periora, adeoque minime compensabilia esse pu-
tant, & restitutionem solis damnis emergentibus
commensuratam exigunt.

posse signum facere contrarium illi, quod alius fecit, ut thesaurum dæmoni custodiendum traderet, ne illum amplius dæmon custodiat; verum nonne dæmoni hoc pacto creditur, qui thesaurum, rogatus quamvis, custodire non est sollicitus; & superstitiosa observantur signa, quorum ipse est auctor? Non ille depositum thesaurum curat, sed illius animam, qui sibi credit, & propterea superstitionibus utitur, ut ut dæmon creditum thesaurum custodiat, vel deferat.

Quærit idem Auctor, an maleficium maleficium tollere liceat? Respondet, si absolute petas ab eo, qui maleficium fecit, ut illud tollat, licet scias posse illum alio maleficio, quo forte uteretur, id efficere, probabile est posse te licite illum impellere ad maleficium tollendum. Addit Casuista alius, non esse illos superstitiosos, qui verbis ex Psalmis, aliisque orationibus excerptis morbos sanant; licere quoque verbis sacris uti ad canum latratum impediendum, & ad sanguinis sistendam effusionem; dummodo certo non expectetur effectus, & vanæ si quæ sunt averrantentur cæremoniæ. En ridiculam exceptionem; siquidem licitum putat hic Auctor hos eventus probabiliter a dæmonis vi expectare, & probabile cum illo commercium habere. Verum nonne quodlibet cum dæmone commercium debita Dei adorationi adversatur? Quis sanctorum Patrum sortilegia damnans vana hac distinctione usus est? Hanc excusationem sæcularis iudex admitteret, si magus reponeret, se

artis suæ effectum cum certitudine minime sperasse? Quamvis ethnicæ sint vanæ hæc cæremoniæ, non eas diabolus adhibere detrectat; sætis tamen sacrisque cæremoniis libentius utitur, ut eas violans majorem Deo inferat injuriam.

Si sæpe magi appellantur, qui solum malefici. *Magi* dæmonis ope utuntur, ut potentiam jactent, vel ut futura & occulta noscant, verum *malefici* utuntur dæmone, ut proximo noceant, sive in corpore, sive in bonis, veluti in gregibus aut agris, grandinibus, aut violentis imbribus a dæmone immisissis. Hæc dæmonis Deo permittente operatur mediis nobis incognitis, quæ tamen naturalem vim non superant.

His maleficiis aut verba sacra, aut res sacra, veluti Aqua benedicta, vel Olea sacra semper miscentur: hocque sacrarum rerum abusu dæmonis superbia gaudet, suoque honori deputat hæc sibi offerri, Deoque eripi, cujus cultui sunt dicata.

Quæri potest, an liceat a malefico petere, ut maleficium alio maleficio destruat?

Respondendum est, id minime licere; siquidem maleficium est de se malum, & maleficium hoc esset communicare peccato, illique animum præbere dæmonem iterum invocandi. Satis est uti Ecclesiæ precibus, quas ipsa ad maleficium sananda præscripsit, propriamque calamitatem patienter ferre. Verum si absque maleficio posset maleficium tolli, id liceret, quia tunc solum diaboli opus destrueretur.

Ante

Canonica Superstitiosorum pœnæ. 499

Antequam hanc materiam absolvam, recentiorum aliquot Casuistarum est absurda opinio perpendenda, qui docent Astrologum pecuniam, quam, ut vaticinaretur, accepit, teneri restituere, si astra consuluit; non vero ad restitutionem teneri, si dæmonem consulat, quia hæc consultatio studium & laborem postulat. Astrorum contemplatio est innocens, quamvis ad futura investiganda non proffit; ast invocatio dæmonis semper est illicita, & propterea dæmonis invocandi labor justus nequit esse titulus pactum pretium exigendi. Hoc pacto in hominum commercium ars magica, tamquam ars licita ad caprandum lucrum, importatur; quod omnino est dictu nefas.

CAPUT VIII.

Canonica Superstitiosorum pœnæ.

Qui post discessionem a catholica Ecclesia, de peccato suo vere dolens ad illam redit, penitentiam agat decem annis, quibus expletis ad communionem admittatur (*Pœnit. Rom. tit. 30. c. 4.*).

Qui dæmoni immolaverit, decem annis penitentiam agat (*ibid. c. 9.*).

Qui Ethnicorum more elementa coluit, aut superstitiosa signa observavit, vel in serendis arboribus, vel in domibus ædificandis, vel in seminandis frugibus, vel in contrahendo conjugio, duobus annis penitentiam agat legitimis feriis, idest secunda, quarta, & sexta (*ibid. c. 14.*).